IDEM AVTHOR AD LECTOREM.

HIc liber eſt minimus, ſi ſpectes verba, ſed vſum
Si ſpectes, Lector, maximus hic liber eſt.
Diſce, ſcies paruo tantum debere libello
Te, quantum magnis mille voluminibus.

ANDREAS IVNIVS.

Philoſophiæ Profeſſor in Academia Edimburgena.

IN LOGARITHMOS.

QVæ tibi cunque ſinus, tangentes atque ſecantes
Prolixo præſtant, atque labore graui:
Abſque labore graui, & ſubitò tibi, Candide Lector,
Hæc Logarithmorum parua tabella dabit.

MIRI

MIRIFICI LOGARITHMORVM CANONIS DESCRIPTIO,

EIVSQVE VSVS IN VTRAQVE TRIGONOMETRIA, vt etiam in omni Logiſtica Mathematica, ampliſſimi, facillimi, & expeditiſſimi explicatio.

LIBER PRIMVS.

DE DEFINITIONIBVS.

CAP. I.

Definitio 1.

LINEA æqualiter creſcere dicitur, quum punctus eam deſcribens, æqualibus momentis per æqualia interualla progreditur.



Sit punctus A, à quo ducenda ſit linea fluxu alterius puncti, qui ſit B. fluat ergo primo momento B ab A in C. Secundo momento à C in D. Tertio momento à D in E. atque ita deinceps in infinitum deſcribendo lineam A C D E F, &c.
B inter